

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Quid novi in vestra Melissa ?

- ... Cogitationes de mente hodierna p. 2
- ... Adlectatio Siciliensis p. 3
- ... De radiophonia Latina gratus nuntius p. 4
- ... De relativitate temporis alia cogitatio p. 5
- ... Academica Latinitas omnino hodierna p. 6
- ... Musa Latina p. 8
- ... Narratio simplicissima p. 9
- ... Museum visu dignum p. 10
- ... Relatio theologica p. 13
- ... Libri Latini p. 15
- ... Et tot possibilitates Latine loquendi,
ut nescias quo te vertas ! p. 16



Drepanum sub monte Eryce (in: Braun & Hogenberg, Civitates orbis terrarum, 1572-1618)

HIC ET NUNC

Linguarum classicarum institutio in scholis Europaeis magis magisque coartari ubicumque nuntiatur, sive cum gaudio vix dissimulato, sive cum ficta tristitia.

Cuius institutionis condicio in Francogallia tam misera est, ut nonnulli egregii homines litterati, ducente Iacoba de Romilly notissima Hellenista, sollemnem monitionem iam ineunte anno 1999 miserint ad regimen, haec ad summam dicentes: «Cavete, rei publicae moderatores, ne litterarum cultus in Francogallia mox omnino labefiat.» Vix meliorata condicione, ad regimen iterum miserunt monitum a viginti quinque milibus hominum subsignatum.

Magis quam haec ipsa misera condicio, nostra interest eius explicatio, qualis divulgata est in periodico Francogallico «Le Figaro», quod dextris factionibus politicis favere solet («L'amour du grec» in Le Figaro Magazine n. 996, Nov. 1999). A tempore revolutionis Francogallicae, legitur in hac symbola, institutio linguae Latinae et Graecae fluctuavit arbitrio discordium factionum dextrarum et sinistrarum. Exeunte XIX saeculo administer publicus Iulius Ferry, cui institutio generalis magnae curae fuit, in fine cycli secundarii suppressit obligationem Latinae orationis scribendae. Notandum est fere eodem tempore in Germania, imperante Vilelmo II, eandem obligationem, quae vocabatur «scriptum», in gymnasiis suppressam esse. Inter duo bella mundana horae, quae in scholis tribuebantur linguis classicis docendis, augebantur aut minuebantur prout factiones dextrae aut sinistrae rem publicam regebant. Post alterum bellum mundanum, linguae classicae eundem contemptum passae sunt ac notiones «excellendae» et «hereditatis». Quare earum institutio non desiit coartari. Hodie funesti effectus aequalitarismi scholaris ab omnibus agnoscuntur. Dextrae et sinistrae factiones politicae consentiunt de necessitate memoriae exercendae et culturalis patrimonii servandi. Administer Educationis Nationalis disciplinas litterarias (coartato sensu hodierno) laudat. Quae cum ita sint, quomodo fit ut linguae classicae non fiant iterum attractivae? Causa est quia hae linguae «mortuae» solum pertinent ad campum scriptorum, quibus sermo suas

acquirunt divitias, subtilitatem coloresque, quibus etiam traduntur mythi accepti in toto orbe nostro culturali. Sed res huius modi iam non valent aetate nostra, ubi solum accipiuntur res spatio et tempore proximae atque intellectu immediatae.

Haec est explicatio per «hic est nunc», ut ita dicam, in periodico Le Figaro divulgata. Sed nonnulla habeo, quae ei opponam. Imprimis post alterum bellum mundanum re vera exhaustae iacebant nationes Europaeae. Victores capitalistae Americani et Russi communistae materialismum colebant suo quisque more. Quare eorum exemplum Europaei putaverunt imitandum esse.

Nihilominus frequentes manserunt parentes, qui volebant suos liberos bonis studiis humanioribus in linguis classicis nitentibus frui, sed programmata a regimine omnibus scholis imposita locum semper minorem linguis classicis tribuebant. Inde factum est ut discipulis iam non liceret ambas linguas classicas simul addiscere, neque unam quidem earum bene scire. Praeterea nullum incitamentum ad linguas classicas addiscendas supererat, cum accessus ad omnes disciplinas universitarias denique pateret etiam eis, qui nullam earum notitiam haberent. Restat unum non minoris momenti: in mente Francogallorum regentium, quicumque sunt, bonus cultus nititur in sermone Francogallico, non in linguis classicis. Maneat lingua Latina in sepulcro, ubi ante duo saecula condita est; ne ullum signum vitae toleretur. Hanc voluntatem politicam nobismetipsis ante nonnullos annos experiri licuit, cum televisionis operatores quandam sessionem Latinam Meldis (v. Meaux) habitam suis instrumentis recepissent, sed scaenas captas undis emittendi licentiam non habuissent.

Huius modi mens non est apta ad ortum animi Europaei fovendum. Feliciter tales interdictiones non ubique exstant atque gaudemus quod Tsecia, exemplum Finniae secuta, emissiones Latinas facere nuper coepit. Praeterea in Italia Aloisius Miraglia et Iohannes Carolus Rossi iam unum annum emissiones Latinas, quibus titulus est Amor Roma, pro instituto televisifico RAI statis intervallis faciunt. ☸




DE INCEPTO SICILIENSI

EPISTVLA A THEODORICO SACRÉ MISSA

Theodoricus Sacré Gaio Licoppe S.P.D. Domum ex itinere Siculo eoque nuperrimo redux, Gai amicorum optume, Triquetrae illius insulae amore correptus, ipsius ocellum, Erycinum dico oppidum, facere non potui quin tibi magno opere commendarem. Nam, dum Georgio illo nostro comite et mystagogo antiqua eius oppidi monumenta avidis lustris oculis, comperio illic seminarium Latinum mense futurum esse Septembri, quod tute sis moderaturus, illic hospitia gregi Latino iri praebitum, ibidem Latinas voces auditum iri, ubi moenia ipsa, ipsae plateae, parietes ipsi verbis Punicis, Graecis, Latinis adhuc resonare videantur. «O mihi nuntios beatos!» Nam si iucundum satis erit tua ipsius opera seminarium, inde etiam multum adicietur voluptatis et delectationis, quod aura tam delectabili fruitur spiratque nescio quid Latinum locus ille; cuius genius (mihi crede) efficiet ut tirones rotundis statim pronuntient oribus donentque vestibus vere Latinis quicquid sibi proposuerint eo sermone proferendum. Ibi Venus Erycina, cuius cultus olim haud erat ignobilis, ibi, inquam, etiam nunc spirat; aufugerit ipsa: at monumenta sui reliquit omni laude digna. Etenim, ut a locis circumiectis exordiar, vix credas quantopere animum mihi tranquillaverim, cum e summo monte Erycino oculos primum Drepanum in urbem praeclaram deicerem, deinde in littora sensim circumacta curvataque adicerem atque immensa in aequora, post converterem in Aegates illas: quae insulae, quamvis sint exiguae, venustate tamen praestant, animos mirantium permovent alliciuntque; huc accedit quod bello Punico primo sunt nobilitatae. Verum magis est ut ipsum oppidum seminarii que sedem futuram collaudem, quam ut memoria rerum iucundissimarum abreptus, regioni illi pulcherrimae diutius inhaeream. Atqui, praeunte Georgio, totum fere lustrabam municipium, hic illic angustas et antiquiores admiratus vias, umbrosos hortos, domos frontibus elegantioribus, turres vetustiores, ecclesias, quarum erat copia haud spernenda; splendebant aliae, alias, nisi in pristinum nitorem propediem restitutum iri comperissem, senio paene confectas quietem perpetuo caducam tracturas esse iuravissem. De his unam probe memini; Sancto Iuliano dicatam esse opinor. Ad quam cum mihi et Georgio aegre accessus esset datus, detero


sepulchrorum, quae erant in pavimento, pulvere, elegantissimos titulos esse incisos vidimus. Sed iidem etiam aedes ipsas visu legimus conciliis tuis scholisque constitutas; vin dicam? Placuerunt, ut cetera omnia. Erant enim cubicula ad sexaginta, simplicitate illa quidem commendanda, necnon munda, ampla, omnibusque commodis instructa. Mihi vero prae ceteris oecis lucidum arrisit cenaculum, quod ad varios consessus aptissimum esse statim animadverti; cui adhaerebat delicatum solarium; ubi participes iam cogitatione finxi considerentes, bellaria gustantes, prospectu fruentes qui latissime inde patet, dum, mitigato aestu Septembri, levi mulcentur aura... Auditoria autem



Castellum Normanicum

capaciora praeter triclinia vidi pauca; at proxima erat aedis e sacro ad hominum usum conversa; quae iam ita reficiebatur, ut auditorum numerum satis magnum laute receptura mihi esse videretur; ad quam peditem sive iuniorem sive seniore facile deambulare posse arbitrabar. Iuvabit enim interdum locum mutare. Ceterum quot qualesve habeat amoenitates pars illa insulae probe scis ipse, nec procul distare Panhormum, urbem visu certe dignam, si quaepiam; proximamque esse Acestam, quod nomen quotiens enuntio, animo commoveor, quippe qui ibi templum Graecum meis oculis primum viderim nec non theatrum tam amoeno positum loco ut ipso iubente Apolline inibi exstructum esse existimetur. Quid multa? Me tute, Gai, auditores inter expecta Latinos. Et vale. ☛

A dextris: porta Spada, quae dicitur.



MILLENNIORVM MAIORA ET MINORA

NVNTIAT BOHVILA MOVCHOVÁ

Statio radiophonica Bohemica III - Vltava binos brevissimos nuntios Latinos, qui etiam Bohemice redduntur, ter cottidie emittit. Nuntii Latini nonnullas res inde a primo post Chr. n. saeculo usque ad haec tempora gestas commemorantes Latinitatis, artium litterarumque, historiae, temporum recentiorum cultores docere et delectare volunt. Moderatores Radiophoniae nostrae Finnorum exemplum admirantes et modo suo imitari cupientes nos adierunt, ut nuntios eius generis componendos curaremus.

Itaque Bohumila Mouchová et Martinus Steiner adiuvante Maria Stemberková nuntios colligunt convertuntque, Martinus Steiner Latine recitat pronuntiatum nostrum adhibens, ut nostrates sermonem Latinum audientes omnia facilius intellegant. Qui nuntii solum in Re publica nostra audiri, in interrete autem <http://vltava.rozhlas.cz/archiv> ubique gentium legi possunt.

Schema temporis emissionum et longitudines undarum brevissimarum in Re publica Bohemica:

Die Saturni

Die Solis

Mane hora 8.10 7, 55

Nuntii repetuntur:

Meridie hora 12, 52 12,52

Vesperis hora 19,05 19,05

Ecce exemplum illarum emissionum, quibus titulus est «Millenniorum maiora et minora»:

«Die octavo mensis Ianuarii.

Anno millesimo duodevicesimo praeses Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Thomas Woodrow Wilson congressui proposita sua de mundo post bellum componendo declarans postulavit, ut nationes in imperio Austro-Hungarico viventes domique Habsburgensi subditae suis legibus uti possent.

Anno millesimo quadringentesimo tricesimo sexto imperator Sigismundus, ut Franciscus Palack memoriae tradidit, clam legatis concilii Basileensis pollicitus est se fidem Bohemis pro regno sibi dato non praestaturum. Igitur Iohannem Rokycanum archiepiscopum Pragensem non probavit.

Fide, sed cui vide.» ☛



DE INITIO NOVI MILLENNII

SCRIPSIT ERICVS PALMÉN

Commentationem doctissimam Roberti Deprez, quae inscribitur *De anno bis millesimo...* (Melissa 93/13.12.1999, p.3-5), summa attentione animi perlegi. Assentior ei absurdissimum esse, quod appropinquante fine anni praeteriti acta diurna legentes et radiophoniam auscultantes et televisionem spectantes identidem docebamur iam in eo esse, ut e.g. ultimi concentus aut ultima certamina pedifollica secundi millennii emitterentur - proinde ac si anno 2000, cuius fine traditionale millennium potius concludetur, nulli omnino concentus et nulla certamina pedifollica instituerentur.

Per iocum Deprez addit nostris temporibus fortasse omnia tam cito progredi, ut «millennium non iam 1000 annos» contineat, «sed 999»; proximorum igitur millennium ultimos annos fore 2998 et 3997 et 4996 et ita porro. Equidem aliam proposuerim explicationem, cuius fundamenta sunt in prisca quadam consuetudine nostra loquendi.

Proficiscor ab elocutionibus Italicis *il (mille) novecento* (= *il '900*) et *il ventesimo secolo*, quas non idem valere multos praeteriit: illa temporis cyclum 1.1.1900 - 31.12.1999 significat, cuius in quovis anno Latine indicando necesse est numerale ordinale *millesimus nonagesimus* adhibeatur; haec autem cyclum eiusdem longitudinis, sed uno anno post et incipientem et finientem significat, scilicet 1.1.1901 - 31.12.2000. In plurimis aliis linguis elocutio prioris generis videtur multo minus usitata esse. Finnice quidem optime dici potest *1900-luku* et Suetice *1900-talet* (sicut Italice *il 1900*); sed Francogalli, quod sciam, malunt *le vingtième siècle* dicere quam *les années mille neuf cents* aut *les années dix-neuf cents*; his elocutionibus potius primum decennium vicesimi saeculi aut tempora circa annum 1900 acta indicantur. Item Hispani *el siglo veinte* dicunt potius quam *los años mil novecientos*. Angli vero utramque elocutionem, et *the twentieth century* et *the nineteen hundreds*, videntur approbare. Quod ad Theodiscum sermonem attinet, in eo, ni fallor, dici non potest nisi *das zwanzigste Jahrhundert*. Iam adulescentulo mihi olim in schola inculcatum est elocutionum genus, quo certa decennia certorum saeculorum Theodisce exprimuntur, e.g. *in den neunziger Jahren des zwanzigsten Jahrhunderts* (Latine: annis nonagesimis saeculi vicesimi).

In hac elocutione res principalis non iam saeculum est, sed decennium 1.1.1990 - 31.12.1999, quod Theodisce eadem ratione exprimitur atque in aliis linguis exprimi solet: *die neunziger Jahre* plane respondet elocutionibus *gli anni novanta* et *les années quatre-vingt-dix* et *los años noventa* et *the nineties*. Videmus igitur aliud genus elocutionum in decenniis, aliud in saeculis indicandis invaluisse atque illa velut exemplar praebuisse, quod furtim errorem secum afferens etiam in saeculorum et millenniumum indicandorum rationem transiit: quoniam *die neunziger Jahre* a Kalendis Ianuariis anni 90 incipiunt et ultimo die mensis Decembris anni 99 finiuntur, saeculum vicesimum a Kalendis Ianuariis anni 1900 incipere et eodem, quo annos eius nonagesimos, die finiri falso conclusum est, pariterque secundum millennium 1.1.1000 initium et 31.12.1999 finem habere.

In commentatione supra dicta Deprez eximium nobis conspectum dat aliarum rationum annos numerandi, quae in diversis partibus orbis terrarum adhibentur et a nostra aera Christiana multum differunt. Huius defectus ego quoque nuper in M.A.S. (49/1999, p.25) leviter perstrinxi, inter alia errorem chronologicum, quem Dionysius Exiguus monachus in anno natali Christi definiendo admisit. Veri simillimum videtur Iesum Christum «in diebus Herodis regis» (Matth.2:1) natum esse; minus autem credibile est iisdem temporibus exisse «edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis» (Luc.2:2), quia «Cyrinus» sive P. Sulpicius Quirinius circiter decem demum annis post mortem Herodis praeses Syriae factus est. Cum Herodem regem constet anno ab urbe condita 750, qui a nobis haud iure quartus «ante Christum natum» annus nuncupari solet, vitam amisisse, necesse est concludamus Mariam virginem, si serissime, eodem anno «filium suum primogenitum» (Luc.2:7) peperisse.

Quo fit, ut inutile sit ambigere, utrum nunc an transacto demum anno 2000 celebrari oporteat initium tertii post Christum natum millennii. Revera enim iam quartum - nisi forte quintum aut sextum? - annum agimus eius millennii. Immo gratulemur nobis, quod praeter opinionem salvi, etiam ordinatris fere incolumibus, in novum annum ingressi sumus, atque ipse finis mundi, qui multifariam trepidanter praemetuebatur, usque remorari videtur. ☛

EXEMPLA LATINITATIS HVIVS Aevi ACADEMICAЕ

PROPOSVIT THEODORICVS SACRÉ

1. Lapis memorialis Lovaniensis (a° 1999)

LAPIS.SVM.ET.LOQVOR
SISTE.PARVMPER.VIATOR.ALMNE.DOCTOR
LECTOR.ESTO.ME.LECTO.DOCTOR
AVDI.CVR.VERBA.HAEC.LEGAS

ANTIQVVM.HOC.ET NOBILE.QVOD.VIDES COLLEGIVM.FALCONIS
AEQVA.QVADRAGESIMVM.IAM.INCOLVERAT.ANNVM.THEMIS
CVM.ALMA.MATER.LOVANIENSIS
ALAM.AEDIVM.HANC.SEDEMQVE.LIBRORVM
RENOVANDAS.CVRAVIT.AMPIANDASQVE
QVO.STVDIOSOS.COMMODIVS.EXCIPERET.EDOCENDOS
VIROSQVE.DOCTOS.AD.IVRIS.NODOS.LEGVMQVE.AENIGMATA.SOLVENDA
ET.AD.IVVSTRANDAM.CRIMINVM.SCIENTIAM.MAGIS.INCITARET
ATQVE.ITA.COMMVNI.CIVIVM.BONO.AMPLIVS.SERVIRET.
QVAS.AEDES.SOLLEMNI.RITV.DEDICAVIT
LVCAS.VAN.DEN.BRANDE.ADMINISTRORVM.PRINCEPS.FLANDRICORVM
ANDREA.OOSTERLINCK.RECTORE
VICTORE.GOEDSEELS.REBVS.VNIVERSITATIS.GERVNDIS.PRAEFECTO
IACOBO.HERBOTS.FACVLTATIS.DECANO
XVIII.MAI.MDCCCCLXXXVIII
QVI.ERAT.S.IVONIS.SACER

EGO.DIXI.TV.VALEBIS

2. Diploma doctoris h.c. Bruzellense (a° 2000)

CONSTANTINVS MATHEEVSSEN, FACVLTATIS IVRIS PROFESSOR ORDINARIVS, LITTERARVM
DOCTOR, IVRIS LICENTIATVS, RECTOR VNIVERSITATIS CATHOLICAE BRVXELLENSIS

OMNIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIA MVLIER SHEIKHA HASINA, DISCIPLINARVM SOCIALIVM IN STVDIO GENERALI
DACCENSI LICENTIATAE GRADVM OLIM ADEPTA, NVNC VERO ADMINISTRORVM REI PVBLICAE
BANGLADESANAE PRAESES, IAM TVM, CVM PATRIA OPPRESSA IACERET, MILITE SAEVAM
EXERCENTE TYRANNIDA, IPSA ET VOCE FIRMA ET CALAMO PERSVASIBILI PRO POPVLARI RECTIONE
REI PVBLICAE INSTAVRANDA PROPVGNAVERIT PROQVE LEGIBVS AEQVIS ET IVRIBVS HVMANIS
TAMQVAM CONSORTIONIS CIVILIS FVNDAMENTIS;

CVM VIX REI PVBLICAE GVBERNACVLIS ADMOTA, MALACIA NONDVM CVM ESSET, NAVEM



PUBLICAM EADEM CURA ET STRENUA ET SIBI CONSTANS REGERE STATIM COEPERIT, QUIPPE QUAE IVRA POPULI AD ID TEMPUS OBTRITA A CONTEMPTU VINDICAVIT, MISERAS PVERORUM PVELLARUMQUE CONDICIONES IN MELIUS VERTENDAS, PAUPERIATUM AVTEM EXPELLENDAM SUSCEPERIT, MULIERUM FORTUNAM STATUMQUE CUM VIRIS AEQUARE STUDIO ET, UT LITTERARUM IGNORATIO DEVINCERETUR, SINGULARE EDUCATIONIS OPUS PROVEHENDUM CURAVIT, OMNI DENIQUE VIA COMMUNIS BONI INCREMENTUM MUTUAMQUE CIVIUM OPERAM ET SOLIDAM CONIUNCTIONEM FOVERIT RERUMQUE ADMINISTRATIONEM DILIGENTEM ET AEQUABILEM DEFENDERIT ET PROVEXERIT, ITAQUE SUMMOPERE ENISA SIT UT NOMEN BANGLADESANUM VERE POSSET EFFLORESCERE;

CUM POETAE MEMOR CANENTIS

OMNIA PACE VIGENT. COEANT IN FOEDERA CIVES:

TERRARUM VULTUS PROTINUS ALTER ERIT,

PACIS IPSA SECTATRIX ET CURSUS, LONGAS EAS LITES IN REGIONE, QUAE AD MERIDIEM VERGIT ET AD ORIENTEM SOLEM, EX EO ORTAS, QUOD TIMEANT INDIGENAE CULTORES NE SUA INDOLES GENTILIS SUFFOCARETUR, NON ARMORUM HORRORE DIREMERIT, SED FOEDERIBUS AEQUIS COMPOSERIT CONCORDIAMQUE OMNIUM PATRIAE GENTIUM LEGE QUADAM PRIMARIA MUNIERIT ATQUE ITA IANUM FELICITER CLAUSERIT,

NOS, PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ASSENTIENTE, EANDEM EXIMIAM MULIEREM

SHEIKHAM HASINA

DOCTRINAM HONORIS CAUSA CREAVIMUS ET RENUNTIAVIMUS.

CIVIS REI UT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PUBLICUM A NOBIS SUBSCRIPTUM ET UNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATUM DANDUM CURAVIMUS.

BRUXELLAE PRIDIE NONAS FEBRUARIAS ANNI A PARTU VIRGINIS MM.

3. Diploma h.c. Lovaniense (a° 2000)

ANDREAS OOSTERLINCK, FACULTATIS SCIENTIARUM AD USUM PERTINENTIVM PROFESSOR ORDINARIUS, EARUNDEM SCIENTIARUM DOCTOR NECNON DOCTOR MAGISTRALIS, EX PRAESIDE CONCILII FLANDRICI DISCIPLINIS PUBLICE CURANDIS, RECTOR STUDIORUM UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS IN URBE LOVANIENSI, OMNIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALVTEM.

CUM EXIMIA MULIER, REVERENDA ADMODUM SOROR IOHANNA DEVOS, VIRGO DEVOTA EX ORDINE IMMACULATI CORDIS MARIAE, ANTE HOS QUINDECIM ANNOS MOTUM ORDINEMQUE ANCILLIS DOMESTICIS EMANCIPANDIS BOMBAIAE IN URBE INDIAE PERFREQVENTI CONDENDUM CURAVIT, NOVEM FERE POST ANNIS INSUPER ADIECTO INSTITUTO SUBLEVANDIS INDORUM PVERIS PVELLISQUE DIVERSIMODE PERICLITANTIBUS, ET INCEPTO UTROQUE INFERIORUM SOCIETATIS INDICAE ORDINUM CONDICIONES PROVEXERIT EOSQUE IN MELIOREM SPEM FELICITER EREXERIT;

CUM NAVITATE INDEFESSA MIRAE PERSEVERANTIA CONTENDERIT UT VIRGINIBUS EIS INDICIS OMNI OPE, DUM SERVIVNT, DESTITUTIS PROQUE SUA PVERITIA MAESTO PARENTUM, PROPINQVORUM NATALISQUE SOLI DESIDERIO SEMPER PERTEMPTATIS, IMMO SUB DIVO DOMINO HAVD SEMEL VEXATIS, ATTRECTATIS, MOLESTATIS TANTOQUE INTERDUM OPERE EGENTIBUS, UT AD SVSTENTANDAM FAMILIAM EHEV ABSENTEM CORPORE QUAESTUM FACITARE COGANTUR, TANDEM ALIQVANDO, PACTIIONIBUS DE OPERE LOCANDO COMPOSITIS, ANCILLARIBUS PRO

LABORIBVS STIPENDIA DINVMERARENTVR AEQVA, VTQVE EISDEM FAMVLIS CERTA OPERIBVS FACIENDIS DESTINATA TEMPORA QVIESQVE STATIS INTERVALLIS CONCEDERETVR, DENIQVE VT IVRIBVS HVMANIS OMNIBVS ET EDVCATIONE LIBERALI FRVILICERET IPSIS ET STATVS IS SERVILIS, HVMANAE DIGNITATI CONTRARIVS AEVOQVE HOC PRORSVS INDIGNVS, VEL RADICITVS EXSTIRPARETVR VEL FVNDITVS EMENDARETVR;

CVM EFFECERIT VT NON SOLVM MINISTRAE ILLAE, SED ET ALIAE PVELLAE MISERRIMAE IN DOMICILIA OPERIS FVNDATI CONFGERE QVIRENT TAMQVAM IN ASYLA, VALETVDINARIA, PARTHENOTROPHEA IBIQVE IPSAS, QVO MELIVS IVRA SIBI VINDICARENT, VOCE DONAVERIT DOCVERITQVE QVA RATIONE PROGRESSIONEM AD VERAM DIGNITATEM LIBERTATEMQVE FACERE POSSENT, ITAQVE CARITATIS CHRISTIANAE OPERA EXERCENDO VERBI EVANGELICI PRAECO SINGVLARIS MISSIONALE ITA OBIERIT MVNVS, VT IN IPSA SIT SPECIMEN HVMANITATIS, VIRTVTIS, FIDEI QVASI PERFECTVM,

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA ET CONCILIO ACADEMICO ADSENTIENTE EANDEM EXIMIAM MVLIEREM, REVERENDAM ADMODVM SOROREM

IOHANNAM DEVOS

DOCTRICEM HONORIS CAUSA CREAVIMVS ET RENVNTIAVIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A RECTORE SVBSCRIPTVM ET VNIVERSITATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, POSTRIDIE KALENDAS FEBRVARIAS ANNI MM.

HERMANNVS DE DIJN
ALTER A RECTORE


ANDREAS OOSTERLINCK
RECTOR

PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS ☪

EPITHALAMIVM PHILIPPI ET MATHILDIS HEREDVM CORONAE BELGICAE

QVI MATRIMONIVM CONTRAXERVNT BRVXELLIS DIE 4 MENSIS DECEMBRIS ANNO 1999

PEPIGIT ALANVS VAN DIEVOET



Nunc roseâ vos dulcis amor veneresque coronâ
exornant laetos. Mox vos graviora onerabunt
aureaserta Iovis. Sed amor leviora benigne
reddat quam flores, gravia aurea munia regum. ☪



QVIS TIMET TERTIVM MILLENNIVM?


SIMPLICISSIME SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

Post satis longam interruptionem lectoribus iterum proponimus narratiunculas consulto

simplicissime conscriptas, ut tirones et discipuli paginam lectu facilem habeant.

Multi timent tertium millennium. Multi abhorrent a tertio millennio. Nam quid expectandum est a tertio millennio? Biotechnologiae, mutationes geneticae, creatio novorum organismorum. Scientifici ludunt et omnia mutant. Non ita pridem effecerunt clonationem ovis cui nomen est Dolly - nonne recordamini? -; nuper etiam simii embryonem duplicare valuerunt. Simium?!? At simius valde similis est homini! Quid de nobis mox facient? In quali mundo vivemus? Quid fiamus?

Vidistisne tomatas? Omnes sunt similes, aequae pulchrae, aequae rubrae, aequae rotundae



(quamquam non iam difficile est cubicas conficere), sed nullum saporem habent. Praeterea porci laborant peste, boves insania, pulli gallinacei dioxino, pisces hydrargyro. Homines non iam audent comedere. Timent de qualitate vitae, de valetudine sua, de vita ipsa.

Attamen numquam antea vita sperabatur tam diuturna, quam nostris temporibus. Multi e nostris iuvenibus aliquando celebrabunt centesimum suum diem natalem. Ergo qualitas vitae necessario est multo melior quam antea! Quid? Placuissetne vobis vita septimi decimi saeculi? Mihi non. Illo tempore, exempli gratia, melius erat non aegrotare. Contra quemlibet morbum unum erat remedium, ut comoedus Molière facete narrat (veniam date, quaeso, Latinitati culinariae):

«*Bachelierus:*

Clysterium donare,
Postea seignare,
Ensuita purgare.

Chorus:

Bene, bene, bene, bene respondere:
Dignus, dignus est intrare
In nostro docto corpore.»¹

Auctor ridet? Certe ridet, sed non solum: ipse scivit quid esset. Nonne mortuus est in scaena, cum finiretur hoc ipsum spectaculum de pseudaeegroto?

Re vera illo tempore non multa alia exstabant remedia. Ah! tamen. Aliquid legi apud clarissimum medicum Germanum cui nomen est Richter (1694-1773); ille mulieribus, quae morbo hysterico laborant, duplex remedium proponit: imprimis fiat frequens venaesectio (nam hoc semper est utile), et postea:

«Casta legant, orent, ieiument, otia tollant.»²

Sic! Et poetice dictum!

Scitisne quid ego cogitem? Medicina videtur nonnullos progressus ab illo tempore fecisse. Insuper querimur de cibis nostris, sed quid illi comedere solebant? Carnes corruptas, putridos pisces. Et poma terrestria nondum comedebant. Miseret me eorum! Denique haec est sententia mea: tertium millennium non timeo. Plura dicam: vivat tertium millennium! ☛

ADNOTATIONES

- ¹ Molière, *Le Malade imaginaire*, troisième intermède, v. 75-80.
- ² G. Richter, *Opuscula medica*, Francofurti et Lipsiae a. 1780, p. 114.

DE MUSEO FLORENTINO

QVOD A FRIDERICO STIBBERT NVNCVPATVR

SCRIPSIT PAVLA MARONGIV

Hoc museum Florentinum continet circiter 50.000 artis varii generis operum anno 1906 a Friderico Stibbert relictorum, natione Britanno clarissimo artificiorum collectore.

Scriptum meum dividitur in partes quattuor, quarum prima de vita Friderici Stibbert tractabit, secunda breviter de structura musei, tertia de animo quo Stibbert res collegit, quarta denique describet nonnulla artificia quae in museo servantur.

Antea necesse est reminisci saeculo praeterito multos homines peregrinos, praesertim Britannos, Florentiam petivisse vel Florentiae diutius vixisse¹, inter quos liceat mihi saltem Percy Bysshe Shelley afferre, qui hic clarissimum carmen *Occidentali vento* composuit, Robertum Browning et Elisabetham Barrett, qui in pulchra domo in Via Romana sita, libris et scriptoribus circumdati, habitaverunt. Ab anno 1867 autem officina periegetica Thomae Cook incepit etiam itinera parare globulis Britannorum, qui, minus clari, Florentiam invisere cupiebant. Nec est praetereunda Regina Victoria quae, huius urbis studiosissima, tabulas aquatis coloribus in castello Vincigliata pinxit, theae suae tantum dulciola *Anglici Furni*, olim in Via Novae Vineae positi, postulavit, nec non lavationibus suis saponem et unguenta antiqui pharmacopolii Sanctae Mariae Novellae; quae omnia, in Britanniam reversa, Florentia semper importavit. Hic mos per saeculum nostrum quoque duravit ut ultimis annis docet quod Princeps Carolus imperii successioni destinatus et alii Britannicae regiae homines libenter in hac urbe commorantur. Ceterum commercia inter Florentiam et Britanniam multo antiquiora sunt, cum a Media Aetate repetant. His paucis praepositis ut monstrarem Britannum saeculo XIX Florentiae vitam agentem minime esse mirandum, ad primam partem transeamus.

Fridericus Stibbert natus est Florentiae anno 1838² Thoma Stibbert praefecto militum et Iulia Cafaggi. Familia patris Britannica Norfolkensis diu in India vixerat ubi avus, copiarum Societatis Indiarum in Bengala imperator, Anglo-Indicam puellam uxorem duxerat. Itaque in India in lucem

editus est Thomas pater qui, postquam in Napoleonicis bellis militavit, domicilium transtulit antea Romam postea Florentiam. Fridericus adulescentulus missus est in Britanniam ut studia coleret quae, condiscipulis tantum indisciplina et immodestia antecessis, mox relinquere debuit. Florentiam reversus, anno 1859 sui iuris factus, cum pater mortuus esset, hereditate fortunis maximis ornatus, potuit iis quae diligebat, id est nummariis negotiis, itineribus, artificiis colligendis, tandem operam dare. Quod non impedivit quominus, studio eventorum Italicae rei publicae flagrans, anno 1866 cum Iosepho Garibaldi in regione Tridentina tam strenue pugnaverit, ut




Bellator e Sindiana regione



nomismate argenteo cohonestatus sit. Per dimidium saeculum usque ad mortem in rerum antiquarum omnium gentium mercatu et inter amplissimos et elegantes Europaeos homines magnas partes egit.

Aedificium musei patet iuxta Viam Montughi et constat e multis partibus quas Stibbert variis temporibus fabricandas curavit praesertim ab anno 1879 ad annum 1891. Ad propositum suum efficiendum clarissimis architectis et pictoribus illius aetatis est usus, inter quos dignus est qui memoretur Iosephus Poggi, maximus Florentiae artifex artis urbanae vias et plateas secundum exempla recentiora aptandi. Aedificia autem ad magnos hortos Anglico genere exstructos prospectant. Cum anno 1906 mortem obiit Fridericus Stibbert thesaurum suum populo Britannico administrandum reliquit; sed rei publicae Britannicae moderatores, cum nihil possent auferre, statuerunt Florentinorum civium communitati eum cedere (quod erat etiam secundum voluntatem Stibberti), ita ut Florentiae manserit. Paucis annis post conditum est museum et Opus Fundatum Stibbert.

Nunc tertiam partem aggrediamur. Ut scripsit Alfredus Lensi, Stibbert sibi proposuit "ut crearet museum armorum et civilium vestium et huic rei reliqua subiecit id est tabulas pictas, ligna caelata, peristromata, imagines impressas, libros [...] animadvertit praesertim esse arma actiosa temporis acti monumenta, ante quae turba, quae per claras pinacothecas festinans transit, venerabunda sistit, quod illi testes victoriarum et cladium revera ea revocare possunt et efficiunt ut e saeculis melius quam e tabula picta, melius quam e statua erumpat integra imago ipsa ducis, moderatoris rei publicae, herois, ut hominibus suae aetatis apparuit, diebus quibus maxima eventa acciderunt".³ Hoc quidem loco possumus nobiscum quaerere ad quem cultum investigatio Stibbertiana pertineat: sine dubio ad positivismum qui dicitur, quo rerum cognitio tantum ab experimentis proficiscitur, proprius ad doctrinam de gentium natura et moribus (ethnographiam) et de humana natura et cultu (anthropologiam culturalem), quae disciplinae saeculo praeterito initium ceperunt. Itaque in armis et vestibus colligendis Stibbert ductus est non tantum curiositate et cupiditate res raras et inusitatas possidendi, eius qui solum delectationis causa investigat, sed potius studio via et ratione res cognoscendi. Praeterea etiam vim cultus venustatis (aesthetismum) percipimus, qui nimium amorem significat artificiorum temporum actorum et populorum peregrinorum non Europaeorum. Sequitur etiam ut artificia antiqua et peregrina quantum fieri potest sint quaerenda, et nisi hoc fieri potest, hodiernis temporibus confici possint a peritis artificibus. Agitur igitur aliquando de



Vestis Napoleonis

falsis operibus quae, ut saeculo praeterito mos fuit, authentica opera imitantur. Eodem studio Stibbert est impulsus in vestibus civilibus et militaribus a saeculo I usque ad saeculum XVIII delineandis, quas imagines curavit aqua nitrata incidendas. Qua re diligenter studioseque tabulas pictas, sculpturas, minutas picturas, manuscripta, sigilla exquisivit, saepe artificia musei sui assimilans. Hoc opus factum, quod, ut affirmavit, in Italia nihil huius generis exstabat, ut instrumentum investigandi artificibus et artificiorum et rerum antiquarum cultoribus praeberet, post eius mortem est anno 1914 ab opere fundato Stibbert editum⁴.


Nunc, Lionello Georgio Boccia⁵ comitante, nobis liceat in museum intrare, ut tantum nonnulla specimina mirari possimus. Necesse est ne obliviscamur hunc luxuriosum locum et magnificentum esse domum quam Fridericus Stibbert sibi paravit ubi per totam vitam cum familia sua vixit; itaque bibliothecam invenimus, tablinum, oecum saltatorium, triclinium. Pedeplanis incidimus in *Conclave Molochitidis* quod dicitur, quod res huius materiei continet e quibus mensa centralis rotunda distinguitur a Philippo Thomire, generis exstruendi quod *Imperium* nuncupant inventore, Hieronymo Bonaparte regi Vestfaliae confecta, quam possederunt postea Principes Russi Demidoff qui Florentiae domicilium statuerant, a Stibberto anno 1880 empta cum bona huius familiae sunt dispersa; dextrorsum videri potest imago Friderici Stibbert senis pigmentis oleatis ab

Eduardo Gelli anno 1905 picta. Ecce nunc *Oecum Armamentarii* qui etiam *Oecus Agminis Equitum* vocatur: hic videmus quanta cura Stibbert conclavia paraverit artificia sua contentura: Caesar Fortini architectus et Gaetanus Bianchi pictor certatim multiplici genere aedificandi et ornandi adhibito propositum domini ad effectum adduxerunt, ut crearetur oecus rerum mirandarum. Qua re Alfredus Lenzi ad eum describendum his verbis recte utitur: "Ecce ante oculos visionem materia expressam et effictam saeculi XVI magnifici et ferocis".⁶ Qui oecus praebet maximam partem armaturarum equestrium Europaeorum. Exhibetur etiam prima pars collectorum armorum generis hastarum, quibus pedites se tuebantur. Est visu digna etiam caelata armatura equestris a Conrado Treytz Minore Muhlensi (Mühlau apud Aenipontem) anno 1520 confecta. Est autem regio musei orientalibus, Turcicis, Persicis, Indicis, Indonesianis, Sinensibus, Coreanis sed in primis Iaponicis armaturis dicata. Armatura Orientalis est levior quam Europaea, quod pugnatori multo maiorem mobilitatem permittit. Multa ab armamentario Constantinopolitano proveniunt et impressum habent signum quod primum, exeunte saeculo XV, adhibitum est a Sultano Selim I. Nunc videbimus nonnulla exemplaria variarum regionum: Turcus eques equo insidet stratis laminosis defenso repetentibus a saeculo XVI ineunte hodiernis temporibus rarissimis; eques induit thoracem Turcicum maculis ferreis et laminis intextum. Sequitur bellator e Sindiana regione (Pakistania) oriundus; agitur de armatura rarissima saeculi XVIII maculis, laminis instructa; in capite vir bucculam habet instar personae plicatilis. Miremur nunc vestem Sinensem saeculi XIX cum Mongolica galea clavis instructam hominis imperatoriae familiae, ut dracones quinque pedibus ornati docent. Digna quae notetur est etiam armatura Iaponica e metallo ectypo et lacca oblito, galea et trunco anatomico instructa.

E vestimentis Europaeis quae in priore tabulato exhibentur velim ostendere vestem clarissimam Napoleonis regis Italiae: notanda sunt braciae albae, colobium flavum auro intextum, sed praesertim pallium splendidum e viridi gausape figuris aureis eminentibus, partes anteriores e serico Attalico contextae ubi sexies aurea littera N splendet. Insunt praeterea duae vestes muliebres saeculi XVIII mediantis: altera est e panno albo tenui auro intexto acu floribus multicoloribus picta, altera e panno rosaceo tenui auro intexto, floribus aureis et multicoloribus fasciis dorsualibus ornata. In fine musei descriptionis liceat aliquid dicere de cubiculo Iuliae, Stibberti matris, quod *Imperii Cubiculum* nuncupatur: distinguuntur magnus lectus thyius instar naviculae, tecto instructus, mensula laboribus muliebribus et speculum genere quod

Imperium dicitur Florentiae tertio decennio saeculi confecta. Parietes et laquear picturis ab Aloisio Ademollo udo illitis ornantur.

Nunc est tempus ut ad hortos exeamus: agitur, ut iam dixi, de hortis Anglico more instructis ubi multae arbores gratam umbram visitantibus praebent. Sed Stibbert eos voluit illustrare ut cum museo congruerent; hinc specus, fontes, statuae, aediculae. Ecce fons duobus tritonibus et conchis excultus, tres aediculae labro centrali, capitibus leoninis, conchis ornatae, dearum antiquarum statuae, sacellum rotundum tholo viridibus et flavis laminis decoratum, aedificium Aegyptium forma quadrata, ad parvum lacum spectans, pharaonibus, semicolumnis, fenestris, leonibus, sphingibus praestans. 2.



Eques Turcus

ADNOTATIONES

- ¹ Oreste Del Buono-Gherardo Frassa-Luigi Settembrini, *Gli Anglofiorentini. Una storia d'amore* (Firenze 1987).
- ² Giorgio Lionello Boccia, *Guida al Museo Stibbert* (Firenze 1983).
- ³ Frederick Stibbert, *Abiti e fogge civili e militari dal I al XVIII secolo*. Raccolta di disegni con prefazione di Alfredo Lenzi (Bergamo 1914), p.6. Exstat etiam corpus delineatorum armorum sine nomine (fortasse auctor lineamentorum est Fridericus Stibbert) anno 1989 sub titulo Latino editum: *Tabulae armorum*. Editio Zero extra mercatum viginti exemplaria iuribus reservatis. Stibbert Museum Florentiae MCMLXXXIX.
- ⁴ Friderick Stibbert, op.mem.
- ⁵ Leonello Giorgio Boccia, op.mem.
- ⁶ Friderick Stibbert, op.mem. p.8.

DE PRINCIPIO CREATIONIS

SCRIPSIT IOHANNES VAN KASTEEL

In tribus numeris continuis Melissae (i.e. 81, 82 et 83) multum disputatum est de creatione. Nobis recens contigit legere antiquum commentarium Iudaeum qui pertinet ad creationem a Moyse in libro c.t. Genesis narratam; quem videtur magni momenti infra referre Latine conversum.

Ut iam scripsit Stephanus Feye (n. 81, p. 4), e textibus huius generis patet luce clarius *doctrinam de creatione antiquam nullo modo attinere ad investigationes scientificas hodiernas et plerosque homines, scientificos aut alios, valde errare cum de creatione (sensu traditionali ac antiquo) loquuntur.*

Nos bene intellegi volumus: non dicimus illas investigationes omnino falsas esse, neque illos scientificos necessarie errare in theoriis suis ad mundi originem pertinentibus (quamvis merae adhuc sint theoriae); sed illustrare cupimus Antiquos, sive Iudaeos sive Christianos, non de eadem *re* vel de eodem *negotio* locutos esse ac plerique moderni. Quod quia hodie funditus nescitur, disputationes saepe fiunt inanes inutilesque inter fideles et scientificos aequae ignorant.

Quando traditio Iudaea ac Christiana de creatione loquitur, loquitur de *experientia*, de *re* quam prophetae et philosophi autumant se expertos esse; ut ille Philalethes, philosophus Christianus Anglus XVII saeculi, scribens se vidisse illam *terram inanem et vacuum* (vide *Gen. 1,2*) et illius creationis testem ocularium fuisse. E quo manifestum fit hic non agi de eo mundo, cui student Moderni.

Textus noster excerptus est e libro apud Iudaeos celeberrimo c.t. *Zohar*, i.e. *Splendor* (vide sectionem I, 11b-12a). Hic liber XVI saeculo Latine versus est a grammatico Iudaeo c.n. Elia Levita, sub patrocinio cardinalis Egidii Viterbani. Infeliciter haec versio nobis in manibus non est. Non solum ergo novam versionem proponimus ipsi, sed locos obscuriores illustrare conati sumus commentariis partim sumptis ex adnotationibus Professoris Tishby qui excerpta huius operis Hebraice publicanda Hierosolymis anno 1971 curavit.

«Rabbi Symeon aperit (scripturam) de Legis mandatis dicens: Legis mandata quae Sanctus

(benedictus sit!) Israeli dedit, omnia in Lege scripta sunt summam.»

Omnes leges, omnia praescripta et mandata quae permulta passim in Lege, i.e. in Pentateucho, disposita sunt, scripta sunt ad summam, hoc est breviter contracta sunt in summo vel in initio Legis, i.e. in primo versiculo libri *Geneseos*.

«In principio creavit Deus (Gen. I, 1): hoc est mandatum omnium primum quod appellatur timor Domini, quippe qui ipse vocatur principium, quia scriptum est: Principium sapientiae timor Domini (Ps. CXI, 10) et: Timor Domini principium scientiae (Prov. I, 7). Nam ea res vocatur principium; est enim porta per quam intratur in fidem. Supra hoc mandatum totus mundus constituitur.»

Impossibile est homini innumerabilia fere mandata divina servare sine timore Domini explorato vel suscepto; qui timor est principium ceterorum praescriptorum implendorum, necnon initium verae sapientiae, scientiae, fidei accipiendae.

Maxime notandum est creationem vel mundum non exstare sine hoc principio recepto; e quo patet non agi hic de mundo nostro vulgari, transitorio et potius immundo, nec de creatione cuiusdam rei communis vel usitatae. Deus creat non nisi in *timore Domini*. Qui ergo nescit hunc timorem, nescit creationem de qua agitur.

Quae autem sit differentia inter timorem verum et falsum, statim explanatur:

«Timor est divisus in partes tres, quarum duabus non est radix conveniens; una autem est radix timoris:

(1) Sunt qui Sanctum (benedictus sit!) timent ut filiis suis faveat neu moriantur, vel timent poenam corporis pecuniaeve; quibus de causis eum perpetuo timent. Comperitur hic timor, qui est timor Sancti (benedictus sit!), non ad radicem poni.»

Ecce verba mire congruentia Ciceroni superstitionem dicenti in qua inest vanus timor deorum (*De Nat. deor. I, 117*) et superstitiosos qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent (*ibid. II, 72*). Timor huius generis est vanus nec verus.

«(2) Sunt qui Sanctum (benedictus sit!) timent

quia timent poenam alterius mundi, immo poenam gehennae.

Hi duo sunt nec radix nec stirps timoris.

(3) *Timor autem est radix si quis timet Dominum suum quia est magnus et potens: ecce radix et stirps omnium mundorum. Omnia apud eum quasi nihil habentur, sicut dicitur: Et omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt (Dan. IV, 32). Et ponit ille voluntatem suam in hoc loco qui timor vocatur.*

Verus igitur *timor Domini* est ei qui vere scit illum esse magnum potentemque. Quod scire licet neque imaginatione neque excogitatione, sed sola *experientia*. Iacob e.g. vidit *Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Dominus etc. (Gen. XXVIII, 13)* et deinde dixit pavens: *Vere Dominus est in loco isto... Quam terribilis est locus iste (ibid. 16-17).*

Bene nota illum timorem in nostro quoque textu vocari *locum*. Quem qui novit, cetera pro nihilo habet. Certe non agitur de experientia cottidiana.

Timor ille dicitur esse etiam radix omnium mundorum. Qui sunt illi mundi? In traditione Iudaea homines iusti vocantur mundi, hoc est (licet etymologia solum Latine pateat) *puri*. Creatio vel *genesis mundi* sensu traditionali non est nisi hominis scilicet iusti, puri, regenerati, nascentis.

Plerique ergo homines, quia nesciunt timorem Domini, non sunt regenerati; patiuntur autem timorem alterius generis:

«(...) *In loco timoris sancti subsistendi, exstat timor malus qui flagellat, verberat, accusat, quasi flagellum malos flagellans. Nam qui poenam flagellationis accusationisque timet, ut explanatum est, eum non subicit ille timor Domini qui vocatur: timor Domini ad vitam (Prov. XIX, 23). Qui autem eum subicit? Iste timor malus. Eum ergo subicere comperitur istud flagellum, id est timor malus neque timor Domini.*

Ea de causa locus, qui vocatur timor Domini, appellatur principium. Quamobrem illud mandatum includitur hic.»

Mandatum ergo pertinens ad timorem Domini, ad timorem verum sanctumque, includitur hic, id est in primo versiculo, immo in primo vocabulo: *in principio*, in initio *Geneseos* vel operis creationis.

«*Et est radix et fundamentum omnium ceterorum Legis mandatorum. Qui timorem servat, ea omnia servat; qui autem timorem non servat, Legis mandata non servat. Nam ille timor est porta omnium.*»

Qui primum omnium versiculum *Geneseos* non servat nec respicit, non fieri potest ut cetera mandata impleat.

Sed iterum iterumque dicere oportet: haec

facere non est bonae voluntatis neque imaginationis humanae, sed *experientiae*, licet rarae, tamen verissimae.

Nobis aliud addere libet: etiamsi multis incredibile videtur necnon satis formidulosum plerosque, immo paene omnes homines, propter condicionem timoris sancti deficientem, nullum omnino Legis mandatum servare, tamen maioris momenti est, nostra sententia, rem accipere talem qualem eam se habere Antiqui nos docent. Nam qui scit se mandata, a prophetis patribusque et tradita et explanata, nondum implevisse, ei licet sperare se aliquando timorem sanctum accepturum esse; qui autem pergit suam ipsius sequi opinionem et credere se, etiam sine timore sancto, fortasse iam quaedam mandata feliciter observavisse, ei non licet sperare se correctum iri.

«*Ea de causa scriptum est: In principio, id est in timore, creavit Deus caelum et terram. Nam qui hoc transgreditur, Legis mandata transgreditur. Poena autem eius qui hoc transgreditur, est flagellum istud malum quod eum flagellat. Quod significatur his verbis: Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae super faciem abyssi, et spiritus Dei (Gen. I, 2). (...) Quae est poena eius qui Legis mandata transgreditur. Haec autem scripta sunt post timorem, hoc est post principium quod omnia includit.*

Abhinc inveniuntur cetera Legis mandata.»

Omissimus locum in quo vocabulis *inanis, vacua, tenebrae* et *spiritus* explanantur quattuor poenae capitales eorum qui principium omnium Legis mandatorum, i.e. timorem, non servaverunt.

Tam Hebraice quam Latine ludus vocabulorum dignus notatu apparet: qui transgreditur, i.e. praeterit, primum versiculum *Geneseos*, incidit in secundum; qui transgreditur, i.e. negligit, primum mandatum timoris, incidit in poenas capitales.

Deinde, i.e. in textu *Geneseos* sequenti necnon ceterorum Pentateuchi librorum, omnia mandata distincte descripta sunt; quae tamen non licet servare sine principio illorum accepto.

Spatium nobis non est ad sequentia commentarii illius Hebraei referenda, quibus explanatur timorem Domini et amorem esse indissociabiles.

Concludere nolumus antequam monstraverimus etiam *paganos*, qui dicuntur, locutos esse de quodam timore sancto neque communi. Servius grammaticus in commentariis suis in Vergilii Aeneidem, XII, 139: *Nam quod Graece δέος, Latine timor vocatur; inde deus dictus, quod omnis religio sit timoris.*

Idem de vocabulis Vergilianis *sacra metu servata* (Aen. VII, 60): *Metu: religione, quae nascitur*

per timorem.

Certe quod timor est *res vera* cui homines saepe substituere *simulacra* malunt, a Varrone explanatur (apud Augustinum, *De civitate Dei*, IV, 31): *Dicit etiam antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Cui sententiae suae testem adhibet inter cetera etiam gentem Iudaeam; nec dubitat eum locum ita concludere ut dicat qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis... metum dempsisse...*

E textibus relatis patet, sententia Antiquorum, timorem verum sanctumque esse principium religionis, scientiae, sapientiae, fidei, amoris, creationis. Quae omnia nihil pertinent ad theorias originis universi nostri, quamvis verae fortasse mox fiat ut probentur. Ne quicquam quidem pertinent ad terrores omnis generis quos homines, religionis specie, saepe solent exercere erga ceteros, sive haereticos, sive infideles, sive etiam fideles. Nam licet terrores et timores eiusmodi exstiterint et adhuc exstent plurimi, non sunt nisi humani et quodam modo vani et transitorii. Non est *timor Domini*. ☩

DE NOVIS LIBRIS

T. PEKKANEN, R. PITKÄRANTA, *Nuntii Latini V*, Helsinki, Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1999, 254 p.

In superiore Melissa fasciculo Thomas Pekkanen commemoravit decimum anniversarium Nuntiorum Latinorum, quos plures pluresque homines in toto orbe terrarum auscultare solent. Decimo anno transacto hic quintus tomus erat exspectandus, cum iam ab initio nuntii binorum annorum libro soleant colligari. Et iucundum et utile est memoria repetere res non ita pridem transactas, quibus hos duos annos animo possumus lustrare, nec sine optima exercitatione lexicographica! Incipimus a morte principissae Dianae, librum claudimus post terram in Turcia terribili motu concussam, atque interea recordamur koalas deficientibus eucalyptis fuisse in discrimine, Montellae factum esse conventum de institutione Latina renovanda, inter Circuitionem birotalem Francogalliae non paucos birotarios convictos esse medicamenta stupefactiva sumpsisse, tot tantasque res accidisse sive calamitasas sive felices.

nuntii.latini@yle.fi - ISBN 951-746-135-6

***Loquela vivida. Donum natalicium Nicolao Sallmann sexagesimum quintum annum agenti a fautoribus linguae Latinae vivae oblatum*, edidit J. BLÄNSDORF, Herbipoli, Königshausen & Neumann, 1999, 308 p.**

Lectoribus Nicolaus Sallmann professor Mongontiacensis procul dubio bene notus est, quippe qui in Germania et alibi non solum scientia sua inclaruerit, sed etiam studio, quo vivam Latinitatem promovendam curavit et curat (cogitemus inter alia de acroasibus cyclicis Mogontiaci et Saraviponti institutis, de colloquiis Francofurtensibus, de Septimanis Latinis Amoeneburgensibus). Quem in otium secessurum Georgius Blänsdorf in eadem studiorum universitate professor honorare voluit his miscellaneis undique collatis; nam amici e variis regionibus oriundi symbolam obtulerunt sive de litteris antiquis, sive de litteris medii aevi et renascentiae, sive de linguae natura et historia, sive de recentiorum temporum usu Latino, permulta scitu vere digna, atque haec omnia Latine conscripta.

Ed. Königshausen & Neumann, Würzburg - ISBN 3-8260-1721-8

R. BRUNE, *Solch ein Gedicht zu finden, Leichlingae, Domus editoria Rainardi Brune 1999, 145 p.*

Rainardus Brune poeta aeterno iuvenis, qui elegantes editiones lectoribus praebere solet, hoc novo libello pulcherrime composito poematia proponit et Theodisce et Francogallice et Latine conscripta, e quibus placet hunc flosculum vobis excerpere:

Canit canore auribus
dulcis lyrae sonitus,
fugit fluctu perpetuo
hora - clanculo continuo. (p. 125)

Domus editoria Rainardi Brune, D-42799 Leichlingen - ISBN 3-924785-20-1



Latine loqui ...

Seminaria Societatis Latinae

ab anno 1973 eximie instituta a D.re P.C. Eichenseer, qui participes scienter inducere solet, ut Latine loquantur. D.rix Sigrides Albert tirones delectabiliter solet docere et textus Latinos (plerumque humanisticos et posthumanisticos) palam proponere.

- Morsaci in Helvetia **23-29 m. Iul. 2000**, in loco saluberrimo supra lacum «Quattuor pagorum» sito. *Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken*
- Geldoniae in Belgica **5-12 Aug. 2000**, in pulchro praedio saeculi praeteriti (cum viridario vasto) quod vocatur «Château des Cailloux».

Gaius Licope, avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles; guy.licope@pophost.eunet.be

Conventiculum Latinum

fiet in America, Lexingtoniae in civitate Kentukia, **14-29 Iul. 2000**. Ita est, bene legistis, duas hebdomades continuas! Hoc consilio moderator professor Terentius Tunberg participibus (sint ludimagistri, professores, studentes, alii) miram occasionem praebet sermonem Latinum exercendi.

Terentius Tunberg, clatot@pop.uky.edu

Seminarium Siciliense

institutum a Georgio Di Maria litterarum classicarum professore in studiorum universitate Panormitana fiet in monte Eryce **5-13 Sept. 2000**. Inter exercitia Latina, colloquia et textuum lectiones procul dubio occasiones non deerunt eximia invisendi antiquitatis monumenta! Moderatores erunt tres sodales Societatis Latinae Foundationisque Melissae et Finnis doctor philologiae.

Georgius Di Maria, Via Resuttana, 352 - I-90146 Palermo; gdimaria@unipa.it

Feriae Latinae

fient in Francogallia meridionali, Tarascone in Abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, media in pulcherrima et vere tranquilla regione, **31 Iul.-7 Aug. 2000**.

Iohannes Claudius Champeau, 121 chemin des Moulins sup. - F-06510 Gattières, tel. 0(033) 4 93 29 17 02, aut Clemens Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun - F-06210 Mandelieu, tel. 0(033) 4 93 49 01 91

Seminarium Opoliense

fiet in Polonia, in pulcherrimo castello prope Opole sito, **29 Iul.-5 Aug. 2000**, moderantibus associatione L.V.P.A. et fundatione c.n. Pallas Silesia, atque thema erit de Silesia Latina.

Marius Alexa, Burgstrasse, 3 - D-59368 Werne, tel. 0(049)2389 / 45334 aut Inga Pessarra, Nordstrasse, 39 - D-59174 Kamen, tel./telecop. 0(049)2307/15617

Seminarium Campanicum

institutum ab Academia c.n. Vivarium Novum, fiet in Campania, **27 Aug.-3 Sept. 2000**.

Aloisius Miraglia, Contrada San Vito, 5 - I-83048 Montella; vivarium@geos.it

Domus Latina

Bruxellis in Domo Latina singulis Lunae diebus hora 18.30-19.30 fiunt exercitationes Latine loquendi li, qui adesse cupiunt, rogantur ut participationem suam praenuntient: tel. 02 735 04 08 (postmeridiano tempore).

Domus Latina, avenue Albert-Elisabeth, 64 - 1200 Bruxellis.